



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Si Christus in morte fuit homo. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

Generalis ista est fides, quia Christus est Dei filius, & natus ex virgine: quem quasi gigantem propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ vnus sit, confors diuinitatis & corporis. Idem ergo patiebatur & non patiebatur, moriebatur, & non moriebatur, sepeliebatur & non sepeliebatur, resurgebat & non resurgebat. Resurgebat secundum carnem, quæ mortua fuerat, non secundum verbum, quod apud Deum semper manebat.

Amb de incarnationis dominicæ sacramento c. 5. ad princ. Ibid. paulo inferius.

SI CHRISTVS IN MORTE FVIT HOMO.

DISTINCT. XXII.

A

Hic queritur. Vtrum in illo triduo mortis Christus fuerit homo? quod non videtur quibusdam: quia mortuus erat, & homo mortuus non est homo. Addunt etiam, quod si tunc erat homo, vel mortalis vel immortalis, sed mortalis non: quia mortuus: nec immortalis, quia tantum post resurrectionem. Quibus respondemus, quia licet homo mortuus fuerit, erat tamen in morte Deus homo, nec mortalis quidem, nec immortalis: & tamen verè erat homo. Illa enim & huiusmodi argutiæ in creaturis mentis est liberum. Vnde Ambrosius. Aufer argumenta, vbi fides queritur. In ipsis gymnasiis suis iam dialectica taceat: piscatoribus creditur, non dialecticis. Dicimus ergo in morte Christi Deum verè fuisse hominē, & tamen mortuum. Et hominem quidem nec mortalem, nec immortalem: quia vnitus erat animæ & carni seiunctis. Alia enim ratione dicitur Deus homo, vel homo Deus, quam Martinus vel Ioan. Homo enim dicitur Deus & è conuerso, propter susceptionem hominis, id est, animæ & carnis. Vnde Aug. Talis enim susceptio illa quæ Deum hominem faceret, & hominē Deum. Cum ergo illa susceptio per mortem non defecerit, sed Deus homini, & homo Deus sicut ante vnitus erat verè, & tunc Deus erat homo & è conuerso, quia vnitus animæ & carni: & homo mortuus erat,

De consequentibus. mortem Christi.

Hic non tenetur.

Amb in l. 1. de fide cap. 5. in fine to. 2.

In libr. de Trin. 1. c. 13. ad princ.